

Nr
314



M. K. 374.

EXEQVIAS
FVNERI
VIRI

ILLVSTRIS, EXCELLENTISSIMI, EXPERIEN-
TISSIMI ATQVE AMPLISSIMI

**D. MICHAELIS
ALBERTI,**

POTENTISSIMI REGIS PORVSSORVM CON-
SILIARII AVLICI, ET IN CONSISTORIO DVCA-
TVS MAGDEBVRGICI SENATORIS, MEDICINAE
ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORIS
PRIMARII, REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS
PHYSICI ORDINARII, ALVMNORVM REGIORVM EPHORI
SENIORIS, ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE CVRIO-
SORVM, ET REGIAE SCIENTIARVM BEROLINEN-
SIS COLLEGAE, CETERA,

DIE XX. MAJI 1687.

SOLENNI POMPA DVCENDAS,

QVO PAR EST, OFFICIO

INDICIT

ACADEMIAE FRIDERICIANAE PRORECTOR,

D. PHILIPPVS ADOLPHVS BOEHMER,

MEDICINAE ET ANATOMIAE PROF. PVBL. ORDINARIVS, ACADEM. CAES.
NAT. CVRIOS. ITEMQVE IMPERIALIS PETROPOLITANAE, ET REGIAE
BEROLINENS. SCIENTIAR. SODALIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
LITTERIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII.



aud inficiendus imprudentis vulgi error est, diu multumque uixisse eos, qui pluribus annis uixerunt, vitamque ex longa annorum serie habuerunt aliis diuturniorem. Certe non solus ille, quem natura suppeditat, uiuendi apparatus, uita dici meretur, quin uitam uere uitalem eam duntaxat agnoscere oportet, quae in bonis egregiisque operibus collocatur, & in praeclaris publicae priuataeque rei commodis atque ornamentis confumitur. Sunt uicissim plerique, quibus magna uitae pars elabitur male agendo, maxima nihil agendo, tota aliud agendo, & quantum credas his ipsis, licet diutissime uixerint, per luxum ac negligentiam decessisse uitae, quam, si rationem audias, iis imputare nulla specie licet? Vita sane a Deo immortalis unicuique concessa est, non ut uiuat tantum, sed ut laudabiliter atque utiliter uiuat, tempusque, quantum potest, optime disponat. Festiue admodum & acute hanc diuersitatem uiuendi determinatam legimus in sepulchrali marmore SIMILIS, Consulis Romani sub TRAIANO Imperatore, cui inscriptum in haec uerba:

HIC. IACET. SIMILIS.
CVIUS. AETAS. LXXIII. ANNORVM. FVIT.
IPSE. SEPTEM. DVNTAXAT. ANNOS. VIXIT.

A 2

Quae



Quanto igitur majorem illorum oportet gloriam esse, qui non solum diu, uerum etiam praeclare uixerunt, supparique & aequali copia annorum meritorumque insignium pleni & graues, nominis sui atque praestantiae memoriam ad posteros transmittunt? Nullum expressius hujus rei exemplum producere licet, quam Illustris, Excellentissimique uiri, D. MICHAELIS ALBERTI, academiae nostrae Senioris meritisissimi, cui supremum pietatis officium hoc loco praestare aggredimur. Longe ultra septuagenariam aetatem, quam tanquam suetum mortalitatis terminum ipse diuini codex agnoscit, uitam egregii uiri diuini Numinis protulit clementia, decus haud dubie in illo praecipuum nostrae Fridericianae seruatora in plures annos, donec, coelesti decreto ex statione sua, quam dignissime tenuerat, nuper eiretur, otio sempiterno, post tot labores uigiliasque, totque praeclare merita, gauisurus sine fine. Pertinet utique ad rationes officii nostri, ut occasionem hanc arripiamus, ad scribendum uirum omnis generis meritis cumulatissimum, cujusque fama & celebritas longe lateque per eruditum orbem patens, haud mediocri huic academiae ornamento per longum tempus exstitit.

Protulit uirum insignem, cujus excessu nunc multum affigimur, anno MDCLXXXII. die XIII. Novembris ocellus ille Germaniae, Norimberga, S. R. I. florentissima respublica. Patrem habuit uirum plurimum reuerendum, & ob singularem uitae sanctitatem Norimbergenfibus uenerabilem, M. PAVLVM MARTINVM ALBERTI, Seniore templi s. LAURENTII, & in aede s. CLARAE pastorem. Matrem coluit BARBARAM FALCKNERIAM, illustris IOHANNIS FALCKNERI, Consulis; Camerarii reipublicae, & Judicis prouincialis, filiam. Mittimus alios praeclaros majores, quorum uirtutes & laudabiliter imitatus est, & feliciter expressit,

cum



cum in propriis nostri decoribus satis argumenti suppetat ad scribendum, nec alienarum laudum splendore uirtus indigeat. Sacri fontis mysterio initiatus fuit die XIV. Nov. testibus adhibitis uiris egregiis ac spectabilibus, quos inter memoriam praecipue, MICHALIS KHEIMII, mercatoris Norimbergenfis nominatissimi, animo, quoad uixit, impressam seruauit. Parum absuit, quin, ob insignem corpusculi debilitatem, uix editus in lucem, immaturo fato exstingueretur, uerum ualefcere diuino beneficio coepit praeter spem medicorum, viresque sensim collegit, ut superstite hoc filio amantissimi recrearentur parentes, maioribus rebus ac fortunis a coelesti prouidentia destinato. Educationem domi habuit sollicitam ac plane egregiam, beneficiumque illud a parentibus accepit maximum, ut mature ad uerae pietatis exemplum formaretur, principiisque sacrosanctae religionis dextre imbueretur, qua ipsa re nihil melius, nihil praestabilius, liberis praestare parentes possunt. Erat praeter haec noster praeclaris praeditus ingenii dotibus, quae fructus dulces mitesque mature jam significabant, quamobrem quantum in illam aetatem cadere poterat, etiam ad linguarum scientiarumque cognitionem aliquam, partim ab ipso parente, partim a domesticis praeceptoribus, manuducebatur. Quae omnia adeo contigerunt feliciter, ut in disciplinam tandem tradi possit Rectoris clarissimi, M. JO. GEORGII FVCHSII, cujus praeceptis doctrinisque in humaniori litteratura plurimum debuit, multaque elegantis ingenii specimina edidit, manifeste docentia, quid quantumque ab eo expectandum aliquando litteris & reipublicae esset. Admissus deinde ad publicas celeberrimi illius Gymnasii lectiones anno MDCCXCVIII. doctos peritosque Professores in Theologicis, Geographicis, Historicis, Logicis, Metaphysicis, disciplinis insigni cum mentis intentione audiuit, atque ob non vulgarem discendi ardorem ab omnibus singulari be-



nevolentia ornatus fuit. Citius omnino studia in academiam proferre licuisset nostro, siquidem maturitatem ingenii, & litterarum apparatus, spectemus, sublimioribus disciplinis abunde suffecturum, uerum cum sumtibus necessariis ob mediocritatem rerum suarum non esset ferundis, moram aliquam consulte sibi imperauit, nec tamen sine fructu otium illud Norimbergense transegit, quin exemplo ac institutione magnorum eius aevi uirorum, ERASMI FRANCISCI & ERHARDI WEIGELII, tum Norimbergae commorantium, felicissimo cum successu usus est. Postea Altorfinam academiam, bene jactis uariarum artium fundamentis, adiit. Primum quidem ad humaniores disciplinas praecipuam industriam adhibuit, audiuitque in Mathematicis celebratissimi nominis uirum, STVRMIUM, in Philosophicis ROETEMBECCIUM, in Rhetoricis OMEISIVM. Auctus praeterea praeceptis celeberrimorum Professorum SPIZELII, WAGENSEILII & MOERLINI, quorum famam & merita iustissime colit & suspicit hodieque litteratus orbis. Finem autem & scopum studiis suis principem deinceps constituit sanctam Theologiam, litterisque Orientis operam dedit sub moderamine B. SONNTAGII, in ipsis uero Theologicis disciplinis auctorem sibi proposuit JOH. MICH. LANGIVM, Professorem Theologiae Ordinarium, cujus identidem conuictu conspicuo temporis interuallo frui datum fuit. Ad publice declarandos factos in Theologia profectus disputationem in cathedram protulit *de modo dirigendi actiones humanas ad gloriam Dei*. Praefide MOERLINO suo, egregiaque facundia grauissimum argumentum edisseruit, auditoriique communem approbationem meritus est. Contigit ei non multo post, ubi majorem indies existimationem consequeretur, ut morum studiorumque moderator eligeretur iuueni in Jenensem academiam cogitanti, quam optatissimam nactus fuit occasionem doctissimi

mis



mis Sanae uiris innotescendi. Venit tum in notitiam amicitiamque inclitorum uirorum, D. WEDELII, D. KRAVSII & D. SLEVOGTII, quorum admiratio effecit, ut sensu aliquo medicinae tangeretur, medicamque artem colere inciperet, licet, ut Theologiae nuntium mitteret, nondum a se impetrare possët. DANZIO tum familiarissimus fuit, omnesque cogitationes in Theologia defixas seruabat, jamque in eo erat, ut Magistri gradum ambiret, sub STVRMII praesidio obtinendum. Enimuero cum multa sunt in hac uita, quae optimis quantumuis destinatis mutationem inferunt, consiliaque bene coepta alio flectunt, ita etiam contigit uiro illustri, ut medicina tandem totum illum sibi uindicaret, quod ipse beatus noster medicus magis aliorum persuasionibus adscripsit, quam certam sibi in eo consilii constituisse rationem arbitratus est. Indoluit saepenumero huic uicissitudini, & pro singulari candore animi, haud consulte admodum ac ingenue a se actum, confessus est, quin mutationem hujusmodi studiorum, plus leuitatis quam rationis habentem, omnibus studiosis nunquam non serio dissuasit. Consolationi tamen fuit per omnem uitam, quod, quem nomine & officio haud praeferebat, re ipsa potius ageret, Theologum, coelestem sapientiam omni humanae sapientiae longissime anteposendo, & diuini uerbi deliciis animum continenter reficiendo, quam consuetudinem usque ad seros annos constantissime seruauit.

Propitio sane fato, pro illa animi & studiorum ratione, ad excolendam ulterius medicam artem, delatus Halam fuit, quo non solum principis suae aetatis medici, GEORGII ERNESTI STAHLII, fama illum attraxit, uerum etiam insigne exemplum AVGVSTI HERMANNI FRANCKII, ut par esset facultas, cum in medicis disciplinis, tum in Theologia proficiendi ex uoto. Amabilis extemplo existere coepit



FRANCKIO, cujus commendatio deinceps multum ualuit apud STAHLIVM, amicum FRANCKII, ut praeter uberrimum fructum, quem ex publicis, priuatis atque priuatissimis summi uiri lectionibus consequeretur, etiam familiarius illo uti liceret, ac super haec eius conuictu & contubernio honoratus amplissimam obtineret occasionem, Stahlianus penitus imbibendi doctrinas, perfectumque incomparabilis medici discipulum reddendi academiae & litteris. Asceticis PAVLI ANTONII lectionibus annis MDCCC. & MDCCCII non minus diligentissime interfuit, nec unquam fausti dememinit temporis, quo salutarem medicinam animi, cum medicina corporis, tam opportune coniungere licuit. Majoribus jam coeptis idoneus sub STAHLII moderamine disertationem speciminis causa habuit *de malo hypochondriaco-hysterico*, quam breui post excepit disertatio alia eaque inauguralis praesidio ejusdem *de erroribus medicinae practicae*, postquam in solenni plurium Candidatorum inauguratione medicinae doctor appellatus est annos natus XXII.

Suafor nunc erat STAHLIVS, ut docendo periculum faceret, principiaque salutaris artis, in quibus pernoscentis totus adhuc fuerat, doceret ciues academicos, cujus rei facultatem pro more academiarum adeptus est disertatione noua *de uera Pathologia haemorrhagiae narium* praesidendo habita. Factus ad nouum doctorem non mediocri studioforum concursus, agnoscebatur in illo ob soliditatem & perspicuitatem doctrinarum alter STAHLIVS, maximoque jure Halensi academiae adferendus uidebatur, cum amantissimi patris, PAVLI MARTINI, desiderijs ac uotis obtemperans subito relinqueret Halam Magdeburgicam, ac Norimbergam repeteret. Maluit fortasse pater filii meritis ac opera frui patriam, quam exteram urbem, praesertim quod academiae forti diffusus, probabiliorem in patria enitendi oppor-



opportunitatem diuinatus fuerit. Vtunque sit, redux Norimbergam, praxi medicae deseruire coepit, itidemque docendo selectiores medicinae cultores ad altiora praeparauit, nunquam otiosus, sed aliorum commodis continuo deditus, quae res tantum illi nomen parauit, ut honorifica appellatione Physicus ordinarius S. R. I. liberae ciuitatis Windsheimensis desideraretur, licet officium hoc recusare satius existimauerit. Habuit igitur tenuitque nostrum ab eo tempore Norimberga, ubi gloriose confensescere dulce & decorum arbitrabatur. Mors tamen superueniens venerandi parentis haec consilia penitus disturbauit. Alia tum exorta rerum facies, & receptu in collegium medicorum Norimbergensium, quem pro constituenda certioris fortunae apud suos spe necessarium habebat, nescio qua inuidia interclusus, mirifice excitatus est ad resalutandas Musas Hallenses, & ad confidentiorem in hac nostra urbe aditum experiendum officiorum academicorum, praesertim, quod nulla patronorum ope atque auxilio hic destitueretur, sicque ingenii uires & raras eruditionis opes Fridericianae simpliciter nunc dicare & deuouere decreuit. Resumfit post reditum impiger pristinas occupationes in emolumentum academicae iuuentutis, inclaruit magis magisque collegiis Philosophicis & Medicis, ac praecipue acroasibus in Logicam & Ethicam magni THOMASII, ejusque de essentia spiritus systema, haud mediocrem sibi celebritatem comparauit, oraque & oculos ciuium in se conuertit, THOMASII simul singularem fauorem demeritus, qui semper inconcussus durauit, uariisque in scriptis Thomasiis honorificis testimoniis publice probatus est. Perseuerauit in hoc tramite constantia admirabili, nec cupiditate aliqua consequendorum honorum ambitiose uexatus, meritorum, quam habebat, solida laude & gloria, & quam quotidie bonorum omnium iudicio augebat atque amplificabat,



cabat, apprime contentus, praeter expectationem, quantum claritas nominis sui efficeret apud Norimbergenses, populares suos, experiebatur, ubi anno 1500. die VII. Junii in Collegium medicorum cum amplissimis laudis documentis sponte adficeretur, licet ad diuortium cum Fridericana iterum faciendum nihil eum adducere posset.

Ac profecto summa cum ratione & aequitate remunerata haud multo post nostri in Fridericianam fidem fuit FRIDERICI I. Porufforum Regis iustitia, cum anno 1500. die XVI. Decembris Professor medicinae constitueretur extraordinarius, firmiorique nexu Poruffico imperio uir eximius & publice utilis adstringeretur. Sicut uero omnis officii diligentissimus erat, nec ullum laborum refugiebat onus, ita quid in ornando munere Professorio possit ingenui doctoris industria in illa jam extraordinaria statione ostendit, siue collegiorum, nulla impedimentorum specie aut excusatione interceptorum, operosos labores, siue dissertationum academicarum insignem copiam, spectaueris. Atque hic ipse gradus est, qui ad altiora sternitur academicis, ut probata illorum praestantia, & in administrandis officiis sedulitate, paulatim sublimius euehantur. Itum hac uia etiam a nostro feliciter fatis, quando anno 1506. die XVI. Januarii, euocato in aulam Regiam Berolinensem summo STAHLIO ad illustre Archiatri capeffendum munus, huic uiro dignissimus in ordine Medicorum suffectus fuit successor, eximia cum spe, futurum, ut tanti luminis iacturam Albertini nominis celebritas quam felicissime solaretur. Nec sefellit augurium Fridericianam, quae amisso STAHLIO nacta est in nostro quicquid ad STAHLIVM academiae medicoque ordini reddendum requirebatur. Durabat ad haec in beato uiro irrestinctus laborandi ardor, quem in tuenda demandata sibi prouincia docendo, disputando, scribendo, in

uirili



uirili pariter aetate ac ipsa senectute, ostendit, dies noctesque doctis meditationibus absumsit, in summa omne uitae tempus publicis utilitatibus sacrum esse iussit. Haud mirum uideri potest, desiderio tam praeclari uiri tactos Norimbergenses ferio agitaſſe conſilia de tanto Medicinae & Philoſophiae decore Altorſinae academicae ſuae inferendo, quae tamen pro illo, in quo nunc conſtitutus erat, rerum ſuarum ſtatu a Fridericiana abalienare noſtrum non poterant. Inde alia ſuper alia Regiae clementiae conſecutus documenta, Conſiliarii aulici dignitate honoratus fuit anno c1o1occcxvii. die xxvii. Septembris: Phyſicam Profeſſionem ordinariam anno c1o1occcxix. die i. Maji obtinuit, ac denique in ducatus Magdeburgico ſacro Conſiſtorio Senator rite receptus fuit die xvii. Martii anno c1o1occcxxv. multisque deinceps in Conſiſtorialibus cauſis expediendis inſignem dexteritatem probauit. Tot uero dignitatibus atque honoribus paulatim auctus, eam ſemper ſeruauit modeſtiam, ut nunquam ambitioſe ſibi blandiretur, animumque meritorum gloria efferret, quin nihil ad oſtentationem, omnia ad conſcientiam, referens, in eo ſolum elaboraret, ut parem ad adminiſtranda ſplendida munera ſolertiam atque fidem adhiberet, ſublinitatemque non in inanibus titularum umbris, ſed in re ipſa, quaereret. Nec quicquam hic praetereundum eſt, quod Imperialis Leopoldina Naturae Curioſorum Academia ornamentum haud mediocre ſibi imputauerit, tantum ſibi adſciſcere Collegam, quem locum ſub *Andronici* nomine diu praeclare illuſtrauit, multumque celebritatis inclitae ſocietati adſtruxit. Nec carere uoluit tam inſigni uiro ſocietas ſcientiarum Regia Berolinenſis, quem anno c1o1occcxxvi. die xix. Junii ſolenni tranſmiſſo diplomate inter ornamenta ſua cum laude praecipua cooptauit.

Conſulatu Fridericianae ter functus, anno c1o1occcxxvi. anno c1o1occcxxxvii. & anno c1o1occccliv. magnam geſti officii



officii existimationem inuit, praesertim quod in turbulentis temporibus in regenda academia egregiam prudentiam adhibuisset, sapienter providendo, ne quid respublica nostra litteraria inter dubios & difficiles rerum euentus caperet detrimenti. In qua re, cum plus ualeat consulendi & agendi dexteritas, paratumque consilium, quam qualiscunque altissimae eruditionis opinio, patet sane, quantum ille, praeter amplissimam doctrinam, ualuerit in optime agendis rebus, & prospiciendum rei communi, quod saepenumero ne maximis quidem hominibus datum est. Tertium Consul praecipuam felicitatem habuit, quod Halam Magdeburgicam transiens magnus FRIDERICVS, Porufforum Rex, amor ac delictum omnium bonorum, ac in primis Musarum dulce decus ac praesidium, Augusto suo adpectu illum dignaretur, in statum Fridericianae & litterarum inquireret, omnibusque cum signis singularis clementiae illum dimitteret. Id unicum adiicimus, tenuisse diu satis apud nos uirum illustrem officium Professoris Philosophiae Ordinarii, licet Magistri titulo destitutum, quem docendae Philosophiae peritiam nec augere nec minuire in quoquam, facile largientur intelligentiores, sed ex improuiso contigit, ut & haec magisterii iura sponte illi tribuerentur a Leucorea academia, Decano cel. HAFERVNGIO, illustri cum testimonio maximorum in Philosophiam meritorum, siquidem *limatissimum*, ut scribit, *judicium sibi expetit Philosophi nostri, de causa durationis nivium circa cacinos montis Aetnae*, in re ardua ac recondita sententiam nostri requirens, quam neminem facile daturum melius rectiusque arbitrabatur.

Nunc quidem, si incredibilem illam beati uiri in scribendo sollertiam, animique intentionem consideremus, maximo jure iis eruditorum comparandus videtur, qui ex hac parte plurimum praestiterunt, doctorumque operum multitudine

dine



dine gloriam consecuti sunt immortalem. Admirationi merito omnibus est, ingens copia dissertationum academicarum, proprio uiri studio conscriptarum, atque ex raritate argumentorum plurimum commendabilium, quae centurias tres & dimidiam excedunt, quarumque indicium subjicimus in calce. Tum uero *Jurisprudentiae Medicae* uoluminosum systema, diffusissimae lectionis apparatu instructissimum, acerrimi iudicii luminibus splendidum, & totum utilitatibus uitae humanae scriptum, quam perenne, quae so, famae Albertinae monumentum est, nullo unquam tempore, quoad litteris & artibus inter homines pretium erit, interitum? Quam elegans, quam nouum, *specimen* illud *Medicinae Theologicae*, ex diuersorum argumentorum Theologiae finitiorum egregiis meditationibus compositum? cui supparem merito jungimus collectionem aliam minorum scriptorum Germanicorum, ad illustrandam & Medicinam & Philosophiam pertinentium. Conticescimus alia, quae ad adornandum Lexicon aliquod medicum reale contulit; Systema medicinae totius in usum auditorum concinnatum: acceptissimum cum medicis tum Jurisconsultis commentarium medicum in Constitutionem Criminalem Carolinam, ne ultra descriptionis hujus modum ingratiis lectorum plus justo euagemur. Quemadmodum uero tota scribendi ratio uiri illustris eruditionem amplissimam ostendit, ita non minus est, quod ubique agnoscas illum Deo & religioni deuotum deditumque animum, dum nunquam sibi scribere excellentius & in publicum utilius uisus est, quam ubi piis meditationibus ac insignium Theologorum sententiis, uelut gemmis, omnia sua scripta atque opera interstingeret, in qua re tanto promptiori illi esse licuit, quod ex continua lectione atque meditatione probatissimorum Ecclesiae nostrae Theologorum, LVThERI, ARNDII, SPENERI, SCRIVERI, MÜLLERI, GEIERI, & nostratium Hallensium, adhibita excer-

D pendi



pendi inexhausta industria, semper praesto haberet locupletissimum collectaneorum apparatus, fidelem memorabilium rerum depositarium, unde petere liceret luculentas illustrationes & testimonia, quibus pleraque ejus scripta, sigillatim dissertationes, abundant.

Nihil quidem possumus uniuersim in laudem uiri summi adferre illustrius, quam fuisse totam ejus uitam, praeter tot alia laudabilia facta, perpetuum uirtutis ac pietatis exercitium. Id ipsum erat, quod quaerebat, quod desiderabat, in quo laetabatur, animique unicam requiem, in beata ac indissolubili cum Deo conjunctione, reponebat. Sic aduersarum rerum leniit taedium, sic ad optime sperandum mentem continuo excitauit, sic dispersit otia fuit, ut nunquam non diuinae clementiae & auxilii certus, mortalitatis iter faustissime absolueret, in conspectu quasi Dei, quem castis inuocare precibus, coeleste praesidium in omnibus expetere, ac diuinae benedictioni se suosque ardentissime commendare, nunquam destitit. Diuini uerbi crebra & fere continua meditatio maximae illi deliciae, & in his tenebris ac uicissitudinibus rerum humanarum fulgida lux erat. Multum illi animi pro fide & ueritate. Ingenium foecundum, nec sine Socratio sale, erat: iudicium uiuax & acre: in cultu parsimonia: abstinentia familiaritatum, quibus multorum uita nimium distrahitur. Jucundissima intra penates quies. Benignitas in indigos opis homines. Arrogantiae qualiscunque fuga. Denique per aeterna cura, quam per omnem uitam in pectore aluit, placendi Deo, & per fiduciam in CHRISTO postremo merendi beatam aeternitatem, quam principem omnibus eruditae curam esse optauit, nullis aliarum rerum impedimentis temere summo uendam, cum hac re omnis hominum felicitas, omnis tranquillitas mentis, omne uiuendi decus, omnis salus, uerissime nitatur.

Laetis



Laetis auspiciis conjugem sibi elegit anno cIoIocccv. uirginem nobilissimam, ANNAM MAGDALENAM WENDTIAM, GEORGII WENDTII, Senatorii ordinis uiri, filiam natu maximam, coluitque cum illa connubium tranquillum, dulce, & ex omni parte fortunatum, pluribus annis, donec anno cIoIocccxli. tristem uiduitatis sortem subireogeretur urgentibus fatis, fidae uxoris adiumento orbatus jam sexagenarius, & in flebilem solitudinem, sub aduentantem senectam, coniectus. Foecundo cum WENDTIA matrimonio gauisus est, quando ex dilecta hac conjugè amplexus est prognatos

- I. CHARLOTTAM SOPHIAM, quae flebili digressu anno cIoIocccxxviii. e uiuis sublata, insigni parentis luctu adfecit. Virgo fuerat omnibus corporis & uirtutum decoribus ornatissima, maximae spei filia, tantoque iustius desenda, quod ex filiabus tribus adhuc unica superesset.
- II. CHRISTIANVM ERNESTVM, non multo post, quam natus esset, extinctum.
- III. AVGVSTVM GEORGIVM, post tres annos uiuis ereptum.
- IV. HENRIETTAM AVGVSTAM, aequali fato post triennii interuallum sublata e mortalium consortio, denique firmamentum illustris familiae, unicumque praesidium
- V. HENRICVM CHRISTIANVM, nunc Regis Porussorum Serenissimi Consiliarium aulicum & Professorem medicinae apud nos extraordinarium, in excolendis Botanice amoenitatibus felicissimum, uariisque in hac Medicinae parte eruditissimis speciminibus notum. Multae consolationi fuit nostro, quod desolatam tot suorum moribus domum fulcire daretur auspiciatissimo conjugio



excellētissimi uiri cum elegantissima uirgine, CHRISTI-
 NA SOPHIA MATTHESIA, nominatissimi olim Hal-
 lensium Consulis filia, ex qua conjunctione nepotes habuit
 CHRISTIANAM SOPHIAM, MARIAM ELISABETHAM,
 CHRISTIANVM WILHELMVM, MICHAELEM HENRI-
 CVM, CHRISTIANVM AVGVSTVM, & JOHANNEM
 WILHELMVM.

Ceterum ad beatum Illustris uiri ex hac uita discessum quod at-
 tinet, haud quidem toto uitae tempore sanitate adeo firma ac corporis
 robore tam ualido usus est, quin subinde, ac prope quotidie, uariis in-
 commoditatibus, morborumque & aegritudinum tentamentis, obiectus
 esset. Omne in hoc statu remedium quaesuit in uitae ratione tran-
 quilla, uictus & diaetae cura quam accuratissima, adfectuumque ue-
 hementiorum fuga, qua re effectum est, ut uitam produxerit ad seram
 usque senectutem, infinitisque laboribus & occupationibus, quas officii
 academicum secum fert, continuo par fuerit. Postremo cum se-
 ptuagenaria maiorem aetatem adsequeretur, magis magisque occidere
 sensit uim mortalis naturae, donec in septuagesimo quinto uitae anno
 constitutus, manifestis documentis propiorem aduentum praecideret
 mortis, cuius rationem hic prolixius describere nihil attinet, cum satis
 sit adnotasse magno illum animo atque constantia, ac insigni in Deo fidu-
 cia, firmatum, patientissime acquieuisse in diuina uoluntate, atque, quod
 in praeclare acta uita habuerat praecipuum, etiam in fine ejusdem seruas-
 se, animum Deo deuotum, & CHRISTI, Seruatoris, causa omnia a mitis-
 simi Patris coelestis bonitate expectantem. Hoc sensu, hac mente, ani-
 mam Deo resignauit die XVII. Maji MDCCCLVII. hora IV. matutina,
 uiuendo expletis annis LXXIV. mensibus VI. diebus III.

Nos, quibus sancta manet, & menti semper inhaesura, Illustris
 hujus senis memoria, queribunda uoce oculisque lacrimantibus aeterna
 ipsum occupantem habitacula insequimur: quod reliquum est, funebria
 iuxta pro more Viro Illustri atque Excellentissimo debita cum pompa pa-
 ramus, cui solennitati honorificam splendidamque Patrum ciuiumque
 academicorum frequentiam, quo par est, officio atque obser-
 uantia exoramus. P. P. die XX. Maji

MDCCCLVII.



CATALOGUS SCRIPTORUM

B. DN. D. MICHAELE ALBERTI

CONSILIAR. AVL. ET CONSISTORIALI CET.

EDITORUM.

I.

Opuscula in 4to.

I. Introductio in universam Medicinam tam Theoreticam, quam Practicam, cujus

Pars I. complectitur

Physiologiam, &

Pathologiam, *Hal. Magd. 1718.*

edit. altera, priori auctior, ib. 1741

Pars II. exhibet

Semiologiam

Hygienen

Materiam Medicam, &

Chirurgiam, *Hal. Magdeb. 1719.*

Pars III. tradit

Therapiam Medicam,

Praxin Universalem, &

Praxin Extemporaneam; cum addi-

tamento

Philosophiae Naturalis, &

Chymiae, *Hal. Magdeb. 1721.*

Accedit IV. Haec Formulae Medicamen-

tosas, Praxi Clinicae accommodatas,

conscribendi, *Hal. Magdeb. 1726.*

II. Jurisprudentia Medica, cum Praef. *Cbrist. Thomasi, Hal. Magd. 1725.*

Editio secunda: multo auctior, ibid. 1736

III. Jurisprudentiae Medicae Tom. II. Schneeb.

berg. 1729.

IV. Jurisprudent. Medicae Tom. III. ibid. 1733.

V. Jurisprudentiae Medicae Tom. IV. Lips.

& Görlitz. 1737.

VI. Jurisprudent. Medicae Tom. V. ibid. 1740.

VII. Jurisprudentiae Medicae Tom. VI. cum

Indice in universum hoc opus directo,

Lips. & Görlitz. 1747.

VIII. Tentamen Lexici Realis, Observatio-

num Medicarum, ex variis Autoribus sele-

ctarum, Pars prima, Hal. Magdeb. 1727.

IX. Tentamen Lexici Realis Observationum

Medicarum. Pars altera, Hal. Magd. 1730.

X. Commentarius Medicus in Constitutio-

nem Criminalem Carolinam. Hal. Impen-

Orphanotroph. 1739.

Nota. Hujus Libri mentio fit in denum

wöchentl. Hallischen Anzeigen Num.

21. ann. 1739. p. 354. sq.

II.

Tractatus.

In Quarto.

I. Tractatus, de Medicamentorum Modo O-

perandi in corpore vivo, Hal. Magd. 1720.

II. Tractatus, de Haemorrhoidibus, cum praef.

Stablii, Hal. 1722.

III. De Tortura Subjectis Aptis & Ineptis, Hal. 1729.

IV. De Natura Humana, qua indicatur & rationibus ac suffragiis Theologicis, Medicis atque Philosophicis confirmatur: Animum hominis Rationalem proprium suum Domicilium generare, conservare & sanare, Hal. 1732.

V. De Longevitate Hominis, Naturalibus nonnullis Mediis adjuvanda & promovenda, Regulis praecipue Diareticis accommodata, Hal. 1732.

VI. Philosophische Gedanken, von dem Unterscheid der Kräfte der Seele nach dem Unterscheid der Menschen, Halle 1740.

VII. Medicinische Betrachtung, von den Kräften der Seele nach dem Unterscheid des Leibes und dessen natürl. Gesundheit oder Krankheit, Halle 1740.

VIII. Lemma Medicum, explicans: Noli me tangere medicum, einige Krankheiten, welche seine eigene Cur leiden, Hal. 1752.

In Octavo.

I. Tract. de Energia Naturae, Hal. 1707.

II. Tract. de Pedantismo Medico, ibid. eod.

III. Medicinische und Philosoph. Schriften, ibid. 1721.

IV. Abhandlung vom Podagra junger Leute, ibid. 1725.

V. Ausführlicher Beweis vom Podagra ohne Sals, ibid. 1725.

VI. Medicina Theologica, cum praef. *Dn. D. Joh. Mich. Langii,* & altera *B. Autoris,* de Luca Medico, ibid. 1726.

VII. Observationes quaedam in A.N.C. & Observationibus Latinis Hallensibus contentae, quae in medicinis u. philosophicis Schrifften comprehensae reperiuntur.

III.

In wöchentlichen Hallischen Anzeigen Observationes & Annotationes sequentes reperiuntur.

I. Anno 1735. No. 47. & 48. Von der Miesge seiner Gesundheit gegen und durch den Winter.

II. Anno 1736. No. 35. Von der Vereinigung der Seele mit dem Leibe.

Nota. Duae haec Observationes *B. Autoris* Jurisprud. Medic. Tom. IV. pag. 765-781. annexa. inveniuntur.

III. Eodem Anno No. 45. Ausführung einer vorgelegten Frage, wegen Vergiftung eines Mannes, nebst einigen Anmerkungen.

†

IV. An.

- IV. An. 1737. No. 51. Von dem großen Nord-
schein, welcher den 16ten December 1737.
Abends um 4 Uhr angefangen, und die
Nacht durch geleuchtet.
- V. An. 1738. No. 24. Anmerkung, warum
gebundene Kinder weinend geboren werden?
Nota. Haec duae Observat. de An. 1737.
& 38. in B. *Alberti* Jurisprud. Medic.
Tom. V. p. 873-886. legi possunt.
- VI. An. 1740. No. 15. Physicalische Anmer-
kung über dem im Jahr 1740. abgewiche-
nen Winter.
- VII. Eodem Anno No. 42. Witterungs- und
Oeconomische Anmerkungen von Anfang
des Frühlings, bis in Eingang des Herbsts
des 1740sten Jahres.
- VIII. An. 1744. No. 2. & 3. Ob der beständige
Trank des Wassers zur Gesundheit und
Verlängerung des Lebens diene?
- IX. Eodem An. No. 38. Medicinischer Bericht
und Anleitung an Richter und Priester, wie
sie bey Inquisitionen sich gegen Delinquenten
zu verhalten, welche entweder eine
heimliche, oder würdliche, oder angenom-
mene und verstellte Melancholie besitzen
oder vorgeben.
- X. Eod. An. No. 39. Medicin. Anleitung, wie
man sowohl in Inquisitionen Processen, als
andern Fällen, bey Delinquenten oder and-
ern Interessenten eine verstellte, falsche u.
heuchlerische Melancholie entdecken könne?
XI. An. 1745. No. 22. Medicinisches Gutach-
ten, wie mit Tauben und Stummen in In-
quisitionen Handlungen zu verfahren?
- XII. An. 1746. No. 39. Nähere Nachricht,
wie in peini. Inquisitionen in und außer
Gerichte, bey geistl. und weltl. Handlungen,
nach der Ärgste Erkenntnis mit tauben und
stummen Menschen zu verfahren.
Nota. Haec observat. ab An. 1740. usque
ad Annum 1746. in B. *Viri* Jurispru-
dentia Medica Tom. VI. p. 610-676.
annexae inveniuntur.
- XIII. An. 1747. No. 45. & 46. Was von der
Zungenlosen Rede (*Αγλωσσοαλία*) zu ur-
theilen?
- XIV. An. 1748. No. 23. Erweis, daß die jun-
genlose Rede nicht aus natürl. Vermögen
und Ursachen geschehe, sondern schlechter-
dings ein göttliches Wunder sey.
- XV. Eod. An. No. 24 25 26. Fortgesetzter Er-
weis, daß bey denen Christi. Martyren die
jungenlose Rede kein natürliches, sondern
ein göttliches Wunderwerk gewesen.
- XVI. An. 1751. No. 7. 8. 9. 10. Historische,
physikalische und medicinische Abhandlung
der Gesundheit, der Krankheiten und Art
des Todes des seligen Lutheri.
- XVII. An. 1753. No. 30. 31. Untersuchung der
Frage: Ob ein Mensch oder Thier eine Zeit
lang ohne Herzen leben könne?
- XVIII. An. 1754. No. 18. 19. Vernunft- und
schriftmäßige Untersuchung: Ob dem Men-
schen vor der Sündfluth Fleisch zu essen er-
laubt und üblich gewesen?
- XIX. Anno 1755. No. 36. Ob ein Mensch von
selbst lebendig entzündet und verbrant
werden könne?
- XX. An. 1757. No. 16. 17. Physicalische und
medicinische Passions-Betrachtungen der
wunderbaren Seiten-Wunde Christi, dar-
aus Blut und Wasser gegangen.

IV.

Dissertationes.

- 1 De modo dirigendi omnes actiones nostras
ad gloriam Dei, Altdorf. d. 13 Jun. 1701.
Præfide *Gustav. Phil. Mærl* habita.
- 2 De Hypochondriaco - Hysterico Malo,
Menf. April. An. 1703. sub Præfido *Stablii*
a B. Viro ventilata.
- 3 De Erroribus Medicinæ Practicæ, Menf. Fe-
bruar. 1704. sub Præfido *Stablii* pro gra-
du Doctoris a B. Viro habita.
Anno 1704.
- 1 De Vera Pathologia Hemorrhagiarum,
Resp. *C. Bergbauer*, Gardeleg. Paleo-March.
- 2 De Officio Medici circa Adiphora, Resp.
J. B. Ledergerl, Diefenhoff-Helvet.
Anno 1709.
- 3 De Amethodia Nature, Resp. *J. S. Grave*,
Sechula-Paleo-Marchic.
- 4 De Medicina Critica, Resp. *J. A. Wendt*,
Hal. Magdeb.
Anno 1710.
- 5 De Hemorrhagis Criticis, Resp. *J. G. Ti-
rio*, Wintziga-Silef.
- 6 De Purpura cum Febre complicata, Resp.
J. C. Stempel, Coburg.
Anno 1711.
- 7 De Abortus noxia & nefanda Promotione,
Resp. *G. S. Liebezeit*, Sempron. Hungar.
Anno 1713.
- 8 * De Therapia Passionis Hypochondriacæ,
Resp. *G. Clavic*, Hannoveran.
Anno 1714.
- 9 * De Medicina Medicinæ Curiosæ, Resp.
J. F. Donzelina, Genevens.
- 10 De Medicinæ & Doctrinæ Moralis Nexu,
Resp. *A. Aitai*, Transilv. Sicul.
- 11 De Therapia Morborum Morali, Resp.
F. P. Papai, Hungar.
Anno 1716.
- 12 * De Vitrioli Elogio Chymico-Medicis æ-
stimandis, Resp. *J. Strebz*, Freyenw. Pom.
Nota. Tres Dissertationes alterisco * nota-
te *B. Viri* elaboravit, ast sub Præfido
B. Stablii Typis impressæ prostant;
B. Alberti vero, ob impedimentum
aliquod, tunc temporis *B. Stablii*
obvium, simul Præfidium gessit.
- 13 De Atonia, Resp. *J. D. Mißhäuser*, Pryn. b. Sil.
14 De

- 14 De Mensum Anomaliis, Resp. *G. Strauwald*, Lesna-Polon.
- 15 De Mensum Anomaliis Convulsiuis, Resp. *G. A. Appenrodt*, Nordhuf. Thuring.
- 16 De Sensu Vitali, Respond. *C. L. Mentzel*, Berol. Marchie.
- 17 De Hemorrhoidibus, Medicina Hypochondriacorum, Respond. *E. W. Kaatzki*, Quilicenf. Mefo-March.
- 18 De Motibus Naturæ Cynofura Medici, Resp. *A. G. Klette*, Grosna-Silef.
- 19 De Morborum Confensu, Respond. *J. J. Horch*, Berol. March.
Diff. a Cand. elaborata.
- 20 De Adfectibus Capitis ex Hemorrhagiis Molientibus, Resp. *J. Z. Platner*, Chemnicenf. Misnic.
Anno 1717.
- 21 De Hemorrhoidibus Longavitatis Causa, Resp. *F. Leutz*, Weferl. Halberft.
- 22 De Hemorrhoidum Confensu cum Scorbuto, Resp. *G. Ritter*, Briga-Silef.
- 23 De Hemorrhoidum Anomaliis, Resp. *D. S. G. Bebruns*, Halberftad.
- 24 De Hemorrhoidibus Fceminarum, Resp. *J. J. Bergmann*, Görlicio-Lufat.
- 25 De Hemorrhoidibus Albis, Resp. *T. B. Rückert*, Schivelb. Neo-March.
- 26 De Hemorrhoidibus Cecis, Resp. *J. L. Mefer*, Weilburg-Naffov.
- 27 De Hemorrhoidibus Suppreffis, Resp. *C. F. Kniep*, Calbenf. Magdeb.
- 28 De Hemorrhoidariorum Regimine & Diæta, Resp. *J. Harder*, Schaff hufa-Helv.
Diff. a Cand. elaboratae.
- 29 De Medico Directore Moruum Vitalium, Resp. *J. Z. Platner*, Chemnicenf. Misnic.
- 30 De Plurimorum Hominum Morte Immatura, Resp. *J. S. Steurin*, Schleufing-Henneberg.
Anno 1718.
- 31 De Hemorrhoidum Confensu cum morbis Splenis, Respond. *R. A. Hanbold*, Saxo-Leoburg.
- 32 De Hemorrhoidibus Excedentibus, Respond. *H. Frijch*, Arovio-Helvet.
- 33 De Cura per Expectationem, Resp. *L. J. Jaquemin*, Brunwicenf.
- 34 De Vomitu Cruento, Resp. *E. Kupitz*, Sorav. Lufat.
- 35 De Hemorrhoidum infolitis viis, Resp. *J. G. Ganzland*, Hal. Magdeb.
- 36 De Hemorrhoidum Confensu cum Capite & Peftore, Resp. *J. Weisbrodt*, Pyritz-Pomeran.
- 37 De Colica Hemorrhoidali, Resp. *J. Fr. Zebner*, Hal. Magdeb.
Diff. a Cand. elaboratae.
- 38 De Medicina quadam efficaci in moribus nature exacerbatis, Resp. *J. Juncker*, Med. Pract. Orph. Hal.
- 39 De Dysenteria cum Petechiis & purpura complicata, Resp. *J. E. Cramer*, Schweinf.
- 40 De Pleuritide vera, Resp. *J. G. Groffer*, Altenb. Görlic.
- 41 De Rore Marino, Resp. *J. W. Sparmann*, Dresdensf.
- 42 De Epilepsia, Resp. *J. E. Stabl*, Hildburghufano-Franc.
- 43 De Scabie, Resp. *C. A. Gorn*, Jauravienf. Sil. Anno 1719.
- 44 De Hemorrhoidum & Mensum Confensu, Resp. *J. G. Dietrich*, Görlic. Lufat.
- 45 De Purpura Urticata, quam vocant die Neffelſucht, Resp. *J. F. Borſch*, Rathenow-Mefo-Marchie.
- 46 De Splenetico Malo, Resp. *H. C. Mayer*, Onoldo Franc.
- 47 De Morbis Animi ex Anomaliis Hemorrhagicis, Resp. *J. H. Wardenburg*, Oldenb.
- 48 De Dubiis Vexaris Materie Medicæ, Resp. *G. Endeler*, Bilefelda-Wefphal.
- 49 De Hemorrhoidariorum prudenti Therapia per acidulas & Thermas, Resp. *J. H. Wachsmuth*, Nordhufan.
- 50 De Mictu Cruento, Respond. *G. Gottſch*, Lignic. Silef.
- 51 De Medicamentorum modo operandi in corpore vivo. Specimen primum.
Diff. a Cand. elaboratae.
- 52 De Apoplexia Sanguinea, Resp. *G. Battalia*, Rheo-Curienf.
- 53 De Sudore Sanguineo, Resp. *S. E. Manutio*, Nied. Oderwitz. Lufat.
- 54 De Arnice veræ Uſu, Resp. *G. A. de la Marche*, Guelpherbytan.
- 55 De Præjudicatis quibusdam in Physiologia Opinionibus, Resp. *C. W. Keſner*, Kindelbrucca-Thuring.
- 56 De Fluxu Hemorrhoidalis Provocatione, Resp. *A. Herrmann*, Neofol. Hungar.
Anno 1720.
- 57 De Scorbuto Præſervando, Resp. *M. W. Schmitz*, Gryphiswald. Pomeran.
- 58 De Hemorrhoidum Confensu cum Calculo & Podagra, Resp. *J. G. Keiling*, Longo-Saltſta-Thuring.
